

Perillustris et Reverendissime Domine. Merito gratias Deo agit Amplitudo tua, quod Paulum Quintum Pontificem Maximum hoc potissimum tempore divina providentia Ecclesiae suae dare voluerit: est enim iis virtutum plurimarum ornamentis praeditus, ut iure sperare possimus Sancti Petri navim ab illo prudentissime, atque optime gubernandam, praesertim cum ad animi praeclarissimas dotes accedat etiam mirifica corporis habitudo, sive aetatem, sive sanitatem, sive speciem, sive robur desideres. Et quamvis curae maximae ex omnium ecclesiarum sollicitudine bonum Pontificem quotidie premant, et fatigent, tamen, praeter coeteras curas illa pectus illius vehementius angit, quemadmodum septentrionem haeresibus tam multis, et tam multiplicibus purgare demum possit. Ad quam rem multum omnino praesidii in episcopis vigilantibus, et ferventibus, qualem esse gaudemus, positum esse intelligit. Quare Amplitudo tua dubitare non debet, quin rationes ecclesiae Varmiensis Summo Pontifici, et nobis omnibus, qui in illius obsequium perpetuo excubamus, cordi futurae sint. Vale, praesul optime, et magnum illium Osium, caeterosque celeberrimos ecclesiae Varmiensis antistites praecessores tuos imitari stude, meque ut fratrem amantissimum tibi ad dictissimum dilige; et si quid in Urbe possum, id, ut in obsequium tuum impendam iure charitatis iube.

Romae Calend. Octobris 1605.

---

Epist. famil. XLIII.